mandhoraut mdes. 8.

INNOCENTIVS pp. VIII

Dilecti filij salutem et apostolicam ben. Promeretur fidei et deuotionis sinceritas quam erga nos et s. Ro. e. statum geritis, ut illa vobis libenter concedamus, que paci et commoditati vestre conducere possunt. Eapropter omnia et singula statuta, priuilegia, ordinamenta, gratias, immunitates,
exemptiones, lras, decreta, capitula et indulta vobis et Communitati vestre per Romanos Pontifices predecessores nostros, apostolicosue Legatos, aut ab eis potestatem habentes concessa, quatenus iusta et rationabilia sint et contra libertatem ecclesiasticam non tendant, tenore presentium
apostolica auctoritate approbamus et confirmamus: prout hactenus laudabiliter obseruata fuerunt. Preterea ut benignitatem nostram peramplius sentiatis et ut commodius certam possessionem ad culturam frumenti destinatam, quam alias propter necessitates vestras vendere
ut asseritis coacti fuistis, redimere valeatis, harum serie Centum Ducatos auri de Camera pro quolibet anno, hinc usque ad et per totum Triennium, de Taleis: quas Camere nostre apostolice annuatim soluere tenemini, vobis remittimus et liberaliter condonamus: Ita tamen ut
dicto Triennio elapso, possessionem huiusmodi omnino redimere debeatis. Mandantes Thesaurario Prouincie nostre Marchie Anconitan. presenti et pro tempore existenti, ut reuisa ratione vestra, vobis dictos Centum Ducatos in Anno, pro Tribus Annis ut prefertur, successiue ad hunc
effectum remittat, et in vestris computis ponat, prout nos ponimus in suis. Et insuper cupientes oportunitatibus vestris quoad possumus consulere, concedimus vobis, ut pro usu tantum et victu vestro, possitis libere et sine aliqua solutione Gabelle aut Bullettini,
extrahere et deferre granum de vna terra ad aliam. Mandantes tam prefato Thesaurario quam ceteris ad quos spectat, ut vos et mandatarios seu ministros vestros nullo pacto desuper impediant uel molestent. Vlterius volentes obuiare, ne plus debito in
expensis executionum grauemini, decernimus et ordinamus, quod de cetero nulli Executores siue Baiuli possint uel debeant quoquomodo petere aut exigere pro mercede et viatico suo, nisi solum et dumtaxat id quod in Constitutionibus dicte Prouincie statutum et taxatum
existit: Inhibentes eisdem, ne contra hoc decretum nostrum facere presumant. Ceterum ut abundantie istius Terre nostre consulatur, statuimus: quod nulli ecclesiastici, siue seculares, siue religiosi fuerint, cuiuscunque qualitatis et conditionis sint, possint extrahere de dicta
terra granum aliquod: sed in hoc subiciantur et subiecti esse intelligantur prostumis seu prohibitionibus et alijs reformationibus Communitatis vestre tam factis quam fiendis ex causa abundantie, tempore presertim penurie et necessitatis, non obstantibus in con-
trarium facientibus quibuscunque. Et quia sepius euenire asseritis, quod in criminalibus causis multi appellationes interponunt solum ad dilatandum iudicium, cum eas deinde non prosequantur, volentes huic rei prouidere, decernimus per presentes, quod quicunque in dicta
terra uoluerit appellare a sententia diffinitiua in Criminalibus dumtaxat causis, debeat prius deponere apud Syndicum seu Camerarium Communis eiusdem terre in pecunia numerata, medietatem pene, alioquin appellans ipse non audiatur: et appellatio non
facta depositione huiusmodi, ipso iure sit et esse intelligatur nulla: nisi forte appellantes ita pauperes fuerint, ut non habeant vnde deponant. Postremo ut Communitas vestra a superfluis et nimis grauibus expensis et oneribus releuetur, statuimus quod imposterum nullus
Potestas uel alius officialis terre predicte, possit uel debeat aliquo pretextu uel colore etiam cum litteris superiorum, petere ab ipsa Communitate sibi concedi ultra salarium constitutum in electione sua, aut aliqua insignia seu munera, durante uel finito eius officio:
Et quicunque de dicta terra in regimine uel extra dixerit seu proposuerit quomodocunque in consilio uel extra, quod dicta insignia uel munera dentur, eo ipso incidat penam Centum Ducatorum Camere apostolice prefate applicandorum: et qui accusauerit,
habeat quartam partem dicte pene. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxvii Octobris MCCCCLXXXIIII. Pontificatus nostri Anno Primo.

L. Grifus

Die sabbati [illegible] 1492

[illegible]

[illegible]

Dilectis filijs.. Communitati et Hominibus terre nre Montissancti Firman dioc

Licenza d'estraer grani

l'Abbondanza, et altre

prohibitioni

[illegible]

Innocens VIII.

N.° 11.